ORATIO
IN AVSPICIIS PROFESSIONIS
PVBLICE DICTA

A

IVSTO RIQVIO BELGA
Ciue ac Patricio Rom.

A D

SENATVM POPVLVMQVE

BONONIENSEM.



BONONIAE, Apud Hieronymum Mascheronium. M.DC.XXVII

SVPERIORVM PERMISSV.

SENATVI POPVLOQVE BONONIENSI

QVantum AMPLISSIMO NOMINI VESTRO debeam, neque paucis istis, quæ publicè dixi, exprimere conatus sum; neque hoc loci (siquid sapio) exprimere tentabo. Verbis enim exprimere velle, quod mens ipsa non capit, esset velle, quod ille ait, cum ratione insanire. Optimè Deos silentio coli erudita censuit Antiquitas: Vos DEI IMMORTALIS vices sustinendo otium præbuistis, quod ab alia, quàm à Vestra manu, exspectandum non erat: proinde benefactis meam infantiam vicistis. Vestro certè beneficio in SIGONIORVM & AMASAEORVM cathedra RIQVIVS spectatur: minutus ignis post tam apricos Soles. Sed & hoc inter Munificentiæ Vestræ exempla Posteri narrabunt, nullius virtutem, quantulacunq; ea fuit, Præmiorum vestrorum ignaram, aut Liberalitatis expertem exstitisse. Valete PATRIAE DECORA, & IVSTVM RIQVIVM, constanter VESTRVM, constanter amate, ac fouete.

Ipsis Idibus Anni Noui. M. DC. XXVII.

DE CLARISSIMA VRBE BONONIA,

EPIGRAMMA.

QVà colit Ausonium generosa BONONIA Rhenum
Composuit vires docta MINERVA suas:
Sanctaque NOBILITAS intacto fulget honore,
Et PVDOR, & nondum fraudibus apta FIDES:
Aurea LIBERTAS pulsis dominata Tyrannis
Regnat, & implacidum nescit habere iugum:
Purior haut alio visa est splendescere cœlo
RELLIGIO, aut alibi grandior esse THEMIS:
Hinc stimulat pulcræ MAVORTIA cura Iuuentæ
Pectora, & hinc doctæ LAVREA frontis honor:
Fœta PALES cultos latè exspatiatur in agros:
Cedunt FELSINEIS Massica prela iugis:
Tota BONIS tellus, totus diffunditur áer,
Quæ Superi larga contribuere manu:
Cur tamen à nostris, HOSPES, vis scire Camœnis
Quod poterunt Vrbis NOMINA sola loqui?

I. R. B.

ORA-

ORATIO.

QVOD HVIC VRBI ET ACADEMIAE BENE, AC FELICITER, A DEO OPTIMO MAXIMO, DIVISQVE TVTELARIBVS, CVPIO EVENIRE; incipiam hodie ex hoc loco verba facere, è quo tot præclarissimi viri, tot prestantia Academię huius decora, maximis ornati stipendijs, parique conducti liberalitate, ingentia facundiæ, ac eruditionis suæ, flumina olim effuderunt. Quorum cùm animo meo obuersatur memoria, in hunc sapientissimorum hominum conuentum, in hoc Mineruæ sacrarium, in hanc elegantissimorum iuuenum, & adolescentium, coronam venire erubesco. Vsu enim verissimum esse comperio, quod à prudentissimo Cæsare, etsi adolescentulo, in Senatu olim dictum, INSIGNIA NOMINA ONEROSA ESSE. Sanè quantum oneris secum ferant immortalia ista nomina BEROALDI, SIGONII, ROBORTELLII, MANVTII, DEMPSTERI, AMASAEI, nemo nescire potest nisi qui aut seipsum ignorat, aut eximias eorum virtutes minùs ponderauit. Ad hæc ipsamet BONONIA, Vestra hæc nobilissima Ciuitas, quæ & STVDIORVM ALTRIX, & DOCTRINAE PARENS, semper audiuit, eam animo religionem inijcit, vt, licet aliqua iam Initia confecerim, profanus huc accedere videar, & tanta Eruditionis Mysteria, illotis veluti manibus, contrectare. Duo tamen sunt, BONONIENSES, quæ in hac consternatione animo medicinam faciant, eumque, pre rerum magnitudine,

ac ſplendore laborantem, erigant atque confirment, OPTIMI ſcilicet, SAPIENTISSIMIQVE, PRINCIPIS VRBANI auctoritas, in cuius ſpem gratiæ hunc ingredior puluerem;& inſignis Veſtra erga me,hominem exterum, ac peregrinum, conſpecta Humanitas, ac Beniuolentia. Vix enim dici poteſt quamprimùm Vobis de mea in hanc Vrbem & Academiam voluntate innotuit,quàm parata Veſtra erga me ſtudia atque officia fuerint: quàm id vnum laborare, inque vnam eam curam incumbere viſi ſitis, nè aut parum LAVDATISSIMI PONTIFICIS de me reſpondiſſe teſtimonio, aut Veterem illam BONONIENSIVM Liberalitatem obliti cenſeremini. Tua quoque, ILLVSTRISSIME VBALDINE, Tua nobis diligentia acceſsit: qui cùm PONTIFICI ob eximiam morum ac vitæ elegantiam, ob præclaram rerum agendarum fidem, ſummamque litterarum cognitionem, in paucis ſis acceptus;quæ optare eum intelligeres promptiſsimè exſecutus es,&, vt alij exſequerentur, omni ope ſtudioq; adlaboraſti. Etſi verò non eum me eſſe profitear qui ab ILLO HOMINVM IN TERRIS SVMMO commendari ſim meritus; tamen vel immerito id cōtigiſſe felicitatis fortunatiſsimum duco:quinimmò temeritatem meam minùs accuſo, nè erraſſe videri poſsit is, cui errare vni inter homines non eſt conceſſum. Cùm itaq; me induci ſum paſſus, vt lampadem à tot clariſsimis viris traditam manu licet impare ſuſciperem; illud me confirmauit,quòd nemo in hoc ſtadium ingreſſus tanto ſub præbitore cucurrit:nemo fortè luculentiores fauoris Veſtri radios, ab ipſo curſus ſui initio, ſit expertus. Et quamquam exterum me ac peregrinum nuncuparim, BONONIENSES, non alienus tamen omninò ad hoc profitendi munus venio. Omitto charitatem illam Veſtram,qua iam effeciſtis,vt vel Ciuibus Veſtris me præferendum putaueritis: vetus alia, ac gentilis,mihi cauſſa eſt, vt non abhorrere à publico iſto munere, & amare atque obſeruare

BO-

BONONIAM Veſtram debeam. *Sicuti namque Profeſſoriam linguam* obiectam meminiſtis nonnemini ad ignominiam; ita, mihi (quod citra inuidiam ſit dictum) *Profeſſorium ſanguinem* adijcere aliquis poſsit ad gloriæ incrementum. Non enim planè non noſtra ſunt quę magnificè maiores noſtri geſſere (quicquid de his ſentiant alij) cùm & in nepotibus auorum reſurgere facinora, & in iſtis poſterorum laudis præclara iaci videamus fundamenta. Auum igitur noſtrum IOANNEM STADIVM, facundiſsimum hominem, duo celeberrima Europæ Athenæa, LOVANIVM & LVTETIA docentem audiuerunt, eo hominum confluxu, qualis fortè, ante eam ætatem, mortalium adhuc contigerat nemini. Planè vt HERCVLEM illum GALLICVM referre videretur, cuius aureis Eloquentiæ catenis populi deuincti tenebantur; aut Heroem illũ Homericũ, cuius ab ore melle dulcior diuina defluebat oratio. Neq; id modò præſtitum à STADIO, vt eloquentiæ & ſcientiæ laude in primis efflorerer; verùm in patriam, quam Naturæ inſtinctu, & Sapientiæ inſtituto, tenerrimè diligebat, pius etiam ac beneficus fuit. Sua namq; auctoritate apud Ordines BRABANTIAE, & Inalpinorum Principem PHILIBERTVM, effecit, vt Louanij Profeſsio Publica *Veteris* inſtitueretur *Hiſtoriæ*: quod illi munus, velut gratiam reponentes, in auctorem beneficij, ſumma omnium gratulatione, collatum voluerunt. Erat ea tempeſtate LOVANIVM & Docentium celebritate, & loci magnificentia, & ſcholaſticę iuuentutis incredibili pęnè multitudine, nobilitatum: vt qui ibi Profeſſorem ageret, non vnius regionis, ſed Europæ vniuerſæ Magiſter iure optimo cenſeretur. Celebratum ea re STADIVM, ac Regijs dein ſtipendijs, turbulento Belgicæ ſtatu, LVTETIAM euocatum; ex illa terrarum ſpecula non otioſè obſeruauit GREGORIVS XIII. PP. BONONIENSIS, æternum huius Vrbis, & BONCOMPAGNAE gentis, decus. Ille hominem Mathematicis, iuxta amoeniores

litteras,

litteras, disciplinis ad miraculum eruditum, alibi noluit quàm Romano sub cęlo viuere: eo quidem consilio, vt reformandis Anni Fastis, vnà cum peritissimis aliquot eius scientiæ viris, vtiliter insudaret. Non permisit hanc STADIO laudem inuida mors, sed consilia pulcerrimi itineris agitantem, immaturis in annis (quinquagesimum enim & secundum nondum impleuerat) ad Vranien suam, quam viuus coluerat, arctiùs in cęlis obseruandam dimisit. Nihil dicam de paterno RIQVIOR. stemmate, in quo viri litteris clari non pauci nituerunt. Nihil de adfini nostro HVBERTO GOLTZIO VENLONIANO cuius immortali manu exsculpta Vetera Romanæ, ac Peregrinę, Reipublicæ Numismata viuent in sensu hominum, ac memoria posterorum. Sufficiet, BONONIENSES, ex vno nouisse vos homine quàm cognatæ mihi sint litteræ, & litterariæ istæ functiones. Accessit ad hanc sanguinis coniunctionem mira quædam Naturæ propensio ad ea studia potissimùm excolenda, quæ quòd parum, vel ad vitæ subsidium, vel ad scientię ornamentum, conferre existimentur; vulgò pro derelictis sunt, & paucos sui sectatores inueniunt. Non secus ac calamitosum agrum agricolæ fugiunt: vel qua ratione *Seianum equum*, aut *Tolosanum aurum*, maiores nostri detestabantur. Sciunt tamen illi, queis ingenium paullò diuinius contigit, quanto adiumento ipsis sint litteræ, siue concio ad populum habenda, siue sententia in Magistratu dicenda, siue liber scribendus, aut epistola dictanda; seu familia regunda, seu Prouincia administranda. Sciunt, insulsum esse ac illepidum quicquid Musarum aspergine non tingitur: sciunt, insuauem esse omnem Xenocratem qui Gratijs non litauit. Norunt quoque sapientis admodùm Regis ALPHONSI dictum, qui cùm nonnemo sui ordinis litteras, vt viro Principi indecoras, malignè traduxisset, ab eaīumque studijs filium arcuisset, *Bouis eam esse vocem non Hominis*, liberrimè pronunciauit. Sed eam rem hodie non agimus, BO-

NO-

NONIENSES, vt Litteras laudemus; fiet *id* alibi, Musis ipsis volentibus, disertiùs ac copiosiùs. Nunc ad me, ac ingeniũ meum reuertor, siue illud, quod Pindarus extollebat adeò, *τόδε φυᾷ κράτιστον ἅπαν*. Arsi igitur cupiditate incredibili, ab ipsis penè crepundijs, politioris exercendæ litteraturæ: hoc est, in ea certandi palęstra, quam mihi, mea sententia, & auitæ virtutis exempla, & natalis quidam Genius, velut indices, commonstrabant. Etenim generosæ mentis igniculos, in exortu ipso, quàm diligenter alijs suscitamus aut pręmiorum allectis magnitudine, aut fortunæ beatitudine copiosis; sic mihi, quasi de compacto, omnia simul infortuniorum genera conspirantia ita extinxerunt; vt cum Heroide Lesbia meritò suspirem, siquid fuit in me, vel ingenij, vel studiosi ardoris, continuis illis luctibus oppressum substitisse. Possem hic acerbas malorum nostrorum *ἰλιάδας* contexere, BONONIENSES, sed ijs commemorandis in diei huius festiuitatem peccare viderer potiùs, quàm (quo veteres nugatisunt) infaustum aliquid, vel inominatum, humanissimis Vestris auribus offerre. Agant, per me licet, Oeschophoria sua Attici, vbi gaudia fletibus temerari nulla vetat religio: ego sincera hodie gaudia Musis nostris indico: hodie lacrymas ipsis detergeo: hodie, longo ac pertinace luctu solutas, Pöeticum illud cantillare iubeo:

—— DEVS *nobis hæc otia fecit.*

Quod enim toto vitæ meæ tempore optaui à DEO IMMORTALI, quodque inter aduersa, prospera, semper in votis habui; Diuina Benignitate, Vestrisque arbitrijs, nunc gaudeo contigisse, vt deposita inutilium curarum ac sollicitudinum sarcina, in ynius Sapientię & Eloquentię studijs iucundè conquiescam. Vestra certè generositate effecistis, BONONIENSES, vt neque gaudia nostra Olympionicarum titulis cedant, quibus post victoriam victus è publico præbebatur in Prytanæis: aut inuidendo illi studiosorum hominum, in Mensa Alexandrina,

conui-

conuictui, Aegyptiorum Regum impendijs, ac liberalitate, sustentato. Et quemadmodum nautæ longa, ac tædiosa, iactatione liberati, mercibus ad portum appulsis, incolumi, ac saluo, comitatu, litoralia sacra facere, puppim coronare, ac festa fronde indui, apud Veteres, solebant; ita ego, post reciprocos alternantis fortunæ æstus, Palladiam hanc stationem ingressus, securitate mea gratulor, otium amplector, & *lætus* (quod ille ait)

——suspendo potenti
Vestimenta maris DEO.

Dabo verò operam, adnitarque pro virili, vt securitas ista non sine cura sit Rei Litterariæ promouendæ: vt otium nostrum negotium sit honestissimarum artium, ac sublimium cogitationum: vt quies nostra, velut ex arce, signum tollat Barbariei non cöercendæ modò, sed ex omnibus Orbis partibus profligandæ, ac propulsandæ. Vos autem, PRAECLARISSIMI IVVENES, FLOS CHRISTIANI ORBIS DELIBATE, quod spontè Vestra facere incepistis, facere sic porrò pergite, vt me, DE POPVLI ROMANI REBVS è L. FLORO disserentem, beniuolè, ac lubenter, audiatis. HISTORIAE Vobis vsum non laudo, quòd eum laudare superuacuum putem, quem nemo non probat: Populum non extollo, qui nominis sui maiestate terras, ac maria omnia, impleuit: illud me polliceor, DEO dante, facturum, vt neque nostram in Scriptorum Veterum tenebris illustrandis diligentiam; neque, in obsequijs vnicuiq; Vestrum præstandis, obseruantiam requiratis.

DIXI.

DICTA
IN.SCHOLIS.BONONIENSIBVS

III. NON. DECEMB. M. DC. XXVI

PRAESENTE

ILLVSTRISS. ROBERTO. CARD. VBALDINO

PONTIFICIO. LEGATO

SENATV. ACADEMICO. ET. VRBANO

STVDIOSA. IVVENTVTE

AC

FLORE. TOTIVS. CIVITATIS

AD. MAIOREM

DEI. OPTIMI. MAXIMI

DEIPARAE. VIRGINIS

CAELESTIVMQ. OMNIVM

QVOR. PATROCINIO. CIVITAS

BONONIENSIS. INNITITVR

HONOREM. ET. GLORIAM.

D. Homobonus de Bonis Pœnit. pro Illustriss. & Reuerendiss. Card. Archiep.

Imprimatur

Fr. Hieron. Onuph. pro Reuerendiss. P. Inquisit. Bonon.

